Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1631

Quelle:
Copyright:

mandato Regis *Wenceslai* cum conſenſu Archiepiſcopi, Capituli *Pragen.* et aliorum Capitulorum ſub poena excluſionis a Regno Prohibitio *Articulorum* infra ſcriptorum dudum, ut dicitur, a tribus famoſis et magnis communitatibus, utpote univerſitate ſtudii pragen. tota natione Bohemorum ejusdem ſtudii, et facultate Theologica praedicti ſtudii damnatorum. Sequuntur igitur *Articuli* XLIII. *Joh. Wicleffi*, non prorſus iidem, quos recitat *Joh. Cochlaeus Hiſt. Huſſit. Mogunt.* 1549. L. I. p. 9. f. et Bulla *Martini V.* T. XVI. *Collect. Concil.* edit. *Venet. col.* 756. f. Hos excipiunt VI. alii, qui lenius *Magiſtro Johanni Huſs aſſcribi* dicuntur, et contra Papam, Traditiones, Reliquias, Abſolutionem ſacerdotalem &c. directi ſunt. Tandem ſubſcribitur: *Anno domini MCCCCXII. die dominico ante feſtum Sancte Margarethe Superſcripti articuli lecti ſunt in mendico* (Bohemis *Žebrak*, civitas in Provincia Beraunenſi non procul ab Arce *Točnik*, in qua Wenceslaus degere amabat) *per honorabilem virum Magiſtrum Sigismundum protbonotarium maioris ciuitatis Pragen. coram conſilio domini Regis ſcilicet domino Wenceslao patriarcha Anthioceno* (cognomine Kralik Epiſcopatus Olom. Commendatario) *domino Conrado Archiepiſcopo pragen. &c. preſentibus etiam conſulibus et iuratis maioris, minoris et noue ciuitatis pragen. Et poſtea de mandato Regis prage in pretorio coram communitate lecti et prohibiti.* Triplicem illam ſupra memoratam Damnationem ad an. 1408. refert *Cochlaeus cit.* p. 11. E noſtra praeſente liquet, *Wenceslaum* hoc ſaltem anno *Huſſi* patrocinium non ſuſcepiſſe, quod innuit *Zach. Theobaldus* c. 6. *Belli Huſſit.* edit. *Francof.* 1621. p. 10. f. *Conradum Weſtphalum* jam anno 1412. Archiepiſcopum *Pragenſem* dici, mirabuntur aliqui, Scriptoribus paſſim adſerentibus, illum anno primum 1413. notam illam cum *Albico* feciſſe *verſuram*, ſed *Proc. Lupacius*, qui eam ad an. plane 1411. retrahit in *Ephemerid.* ad *d.* XVII. *Jul.* addit: eſſe apud quosdam et de anno et de die variationem ſeu potius diſcrepantiam.

II. *fol.* 3. p. 2. *Conſilium venerabilium doctorum ſacre Theologie ſtudii pragen. pro expurgatione infamie de regno.* Initium: *Quia ſereniſſimus princeps et dominus Wenceslaus* &c. Legitur apud *Cochlaeum cit.* p. 44. ſed aliquanto prolixius; nobis enim deſinit in ea verba: *Et iuxta illas doctrinas fideliter et manifeſte cognoſcerent ſe ſentire et credere.*

III. *fol.* 6. *Secuntur rationes et motiua reprobacionum. 45. Articulorum Superſcriptorum Wycleffi et ſequacis ſui Johannis huſs hereticorum.* Ponuntur ſinguli Articuli ſubjiciturque ſingulis refutatio, confecta 1415. *Conſtantiae* in Concilio, quae legitur jam T. XVI. *Concil.* edit. *Venet. col.* 846.

IV.